

Marianus.  
Huscarles.

incendio plurimos ante annos concidit. Vrbs etiam non semel conflagravit, anno Christi CIOXLI ab Hardi-Canuto succensa, qui civibus infensissimus, quod *Huscarles* suos (sic domesticos Danici tributi exactores vocarunt) peremissent, non modo ignem injecit, sed cives omnes occidione occidit, nisi qui in Beveplez insula amica suæ salutis consuluerant. Nihilominus, ut in Guilielmi Primi libro legimus, Edwardi Confessoris tempore, *Burgenses plures habuit, & pro xv Hiddis se defendit, quando moneta vertebatur, quisque monetarius dabat viginti solidos ad Londinum pro cuneis moneta accipiendis.* Anno CIOCXIII fortuitum incendium, quod castrum absumpsit, etiam summum templum suis flammis involvit: Stephano item regnante, intestinis bellis semel atque iterum deflagravit, gravissime autem, cum Stephanus Rex, qui hanc urbem Wallerano Comiti Mellenti malo suo dederat, occupasset, quo tamen tempore castellum expugnare non poterat. Nihilominus è favillis semper se pulchriori forma refuscitavit, Politiaque floruit optima, quam duo *Ballivi*, è viginti quatuor civibus electi, duo Seniores, sive *Aldermani*, duoque *Camerarii* administrant, cum communi Consilio, quod ex quadraginta octo civibus constat. Quod ad Geographicam rationem attinet; Ab Occidua linea XXI temporibus LII scrupulis distat; Polus vero Arcticus LII gradibus XXI scrupulis attollitur.

Anno xv  
Stephani  
Regis.

Barones  
de Po-  
wicke.

Hanley.  
Vpton.  
Malvern  
hils.

Bredon  
hils.  
Elmeley  
castle.

Bredon.  
Liber Wi-  
gor.

Eoves-  
ham.  
Wash-  
born.  
Particula  
Comita-  
tum à re-  
liquo cor-  
pore dif-  
juncta.

A Wigornia flumen in Austrum prouens *Powicke* præterfluit, sedem olim Ioannis *Beauchamp*, quem ad Baronis dignitatem extulit Rex Henricus Sextus, brevique *foemellæ* ad *VVilloughbbæos* de *Broke*, *Reados*, & *Lygonos* hæreditatem detulerunt. Inde *Hanley* quondam castrum Comitum Gloucestræ, & *Vpton* mercatum notissimum, ubi Romanorum numismata sæpenumero eruuntur, inter latissima & redolentia prata præterlabitur. Non procul hinc à dextra ripa *Malverne hils* suscipit *Sabrina*, colles sane, sive potius montes magnos & editos, qui per septem plus minus mill. pass. ut gradus subinde consurgunt, hunc agrum ab Herefordensibus dirimentes; quorum supercilio Gilbertus de *Clare* Comes Gloucestrensis fossam olim duxit ad determinandas suas & Ecclesiæ Wigorniensis possessiones, quæ etiamnum non sine admiratione cernitur. Ex opposito fere eadem distantia ab altera ripa *Bredon hils*, colles multo minores, quasi æmuli tamen se attollunt, inter quos emicat *Elmeley* castrum quondam *Vrifi* sive *Vrisonis & Abtot*, per cujus filiam & hæredem *Emelinam* ad *Beauchampos* hæreditario devenit. Ad eorum radices *Bredon* villa subsidet, de cujus monasterio *Offa* Rex Merciorum, Ego *Offa* Rex Merciorum dabo terram septies quinos tributariorum jugera continentem ad monasterium quod nominatur *Breodun*, in provincia *VVicciorum*, & ad Ecclesiam *Beati Petri* principis Apostolorum que ibidem in loco sita est, quam *Eanswlfus* avus meus erexit ad laudem & gloriam Dei viventis in secula.

Sub his *Bredoniis* collibus ad Austrum *VVashborn* viculus unus & alter cernitur (unde cognomen familiæ in hoc tractu pervetustæ & insigni) in particula hujus provincie à reliquo corpore quasi divulsæ, cujusmodi aliæ circumcirca particule *Britannia*.

disperguntur. Sed quænam fuerit causa, non dixerim, nisi forte qui olim præfecti fuerunt, sua patrimonialia vicina regioni cui præfuerant, adjunxerint. *Arona* fl. supra *Sabrinam* petens delabitur, qui in hoc agro *Eovesbam* irrigat, quod ab *Eoves* subulco *Egwini* Episcopi Wigorniensis sic dictum scribunt monachi, cum prius *Eath-home*, & *Heat-field* nomen esset. Oppidum satis elegans surgenti à flu. colli impositum, in cujus quasi suburbio *Bengeworth* castrum olim erat, ad caput pontis quod *Guilielmus de Audevilla Abbas* contra *Guilielmum de Bello campo* obtinuit, funditus destruxit, & in cæmeterium consecrari fecit. Notum est hoc Monasterio, quod *Edwinus* ille ope Regis *Kenredi* filii *Wolpheri* Regis Merciorum, circa annum Salutis DCC construxit, notum item valle subiecta *The Vale of Ejustham* inde denominata, quæ sua fecunditate harum regionum cella penuria dici meruit, ea terræ benignitas in optimis frugibus uberrime profundendis. Sed quondam notissimum clade Baronum, & *Catilinæ* nostri *Simonis de Monteforti* Comitum *Leicestriæ*. Ille enim vir pravo ingenio, & profunda perfidia illud nos docuit, quod alter vere dixit, *Beneficia eo usque grata esse, dum compensari possint.* Cum enim in illum omnia quæ potuisset beneficia plena manu conseruisset, & sororem in uxorem dedisset Rex *Henricus Tertius*, non alium fructum, quam acerrimum odium messuit. Difficillimum enim bellum concitavit, magnam Angliæ partem effuse vastavit, sub prætextu Reipub. restituendæ, & libertatis asserendæ, ut regem in ordinem redigeret Reipub. statum immutaret, & ex Monarchia Oligarchiam efficeret, nihil non fecit. Sed demum cum rebus secundioribus aliquandiu usus fuisset, Edwardi Principis virtute hoc in loco cum multis aliis justo prælio cecidit, statimque quasi malorum sentina è Reipub. exhausta, læta pax, quam ille excluderat, undique affulsit. Ad eundem fluvium *Charleton* juxta fedet, olim claræ Equestris familiæ *Hansacre*, nunc autem *Dingleiorum* sive *Dingleiorum*, qui ex antiqua *Dingleiorum* in agro *Lancastrensi* stirpe oriundi hanc hæreditario adierunt. Inferius in primitiva Anglorum Ecclesia alius etiam locus fuit religiosus cultus, tunc *Fleobanbyrig*, nunc *Flatbury*, & huic vicina *Perfor*, Saxonice *Peþircopan*, à *Pyr* nomine facto, quod ut apud Historicum illum optimum *Guilielmum Malmesburiensem* legitur, *Fundavit, & perfecit tempore Regis Eadgari Egeþwardus Dux Dorsetensis minime parvus animo, sed effuso in largitatem studio. Verum illud quanto succubuit detrimento? Partem divitum occupavit ambitio, partem sepelivit oblivio, majusculam portionem Reges Edwardus, & Guilielmus contulere Westmonasterio.* Inde *Arona* placide delatus per *Strensham* equestris & antiquæ profapiae *Russellorum* habitationem in *Sabrinam* demum aquas infundit suas.

Liber  
Mon.  
Evesham.  
Circa an-  
num  
1157.

The vale  
of Eves-  
ham.

Simon de  
Monte  
Forti.

1265.  
Charle-  
ton.

Flatbury.  
Perfor.

Oswal-  
low  
Hundred.

Iuxta hæc ad partem hanc Australem Centuria est *Oswaldslaw*, ab *Oswaldo* Wigorniensis Episcopo qui ab *Edgardo* Rege sibi impetravit, sic dicta, cujus immunitas, dum Angliæ lustrum *Guilielmus Conquastor*, his verbis in acta publica est relata. Ecclesia *S. Mariæ de Wircester* habet *Hundredam*, quæ vocatur *Oswaldslaw*, in qua jacent 300 *Hiddæ*, de quibus Episcopus ipsius Ecclesiæ à constitutione anti-  
X x x x quorum